

Bibliothèque numérique

medic@

**Duval, François-Antoine-Jacques -
candidat / Cochu, François-Félicité -
président. - An pro variâ aëris
athmospherici indole, varia
morborum acutorum indoles ?**

1789.

**Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°180**



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIU Sainte
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesima quarta
mensis Decembris, anno Domini M. DCC. LXXXIX.*

M^o. FRANCISCO - FELICITATE COCHU, Doctore Medico, Præfide.

An pro variâ aëris athmospherici indole, varia morborum acutorum indoles?

I.

INNUMERA inter phenomena, quæ naturam scrutanti ultro sese produnt, nulla certe Medicorum, Philosophorumque attentione digniora, quam quæ quotidie ab aëre athmospherico offeruntur. Nihil enim in naturâ, absque aëris athmospherici concursu operatur; eo deficiente, nulla combustio, nulla calcinatio in metallis, nulla respiratio, nulla vita in animalibus plantisque. In tam universâ aëris actione, fieri non potest, quin continuè quædam ex suis principiis amittat, nova que accipiat: mutuum itaque & perpetuum adest principiorum commercium, aërem inter & diversa naturæ corpora: unde novæ semper oriuntur modificationes in aëris qualitatibus. Varias verò inter modificationes, quæ in aëre fiunt, nullæ frequentius, manifestiusque apparent, quam quæ ab igne & aquâ producuntur. Aquam in aëre dissolvi posse, immunera nos docent phenomena; aërem

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

præsentia suâ humidum aqua efficit, absentia vero siccum : quantitatem aquæ in aëre contentam , hygrometri ope certò dignoscimus. Novas in aëre modificationes procreat ignis : hujus præsentia aër incalescit levior , rariorque fit : absentia frigescit , densiorque fit : caloris aëris gradum , certo indicat thermometer. Eæ nunc aëris modificationes , variae sunt pro variis instantibus ; sed quæ ab igne fiunt , quemdam inter se ordinem servant : calor enim aëris , cum imprimis a sole pendeat , varia esse debet , pro variâ terræ circa solem positione ; inde concipitur cur pro variâ horâ , pro variâ anni tempestate , diversus in aëre calor gradus percipiatur. Ab igne igitur & aquâ , quatuor in aëre atmosferico oriuntur status , sibi invicem oppositi , calor videlicet & frigus siccitas & humiditas. Hæ autem aëris conditiones , proprios in œconomia animali pariunt effectus , qui sub duplici respectu , considerari possunt , vel in ordine ad Physiologiam , vel in ordine ad Pathologiam.

In ordine ad Physiologiam , constat aërem frigidum densiorem esse & graviorem ; tunc hujus in corporis peripheriam & in pulmones pondus , augetur : textus cutaneus densatur , vasculorum hujusce organi cavea minuitur : sanguis itaque cum per cutem libere circumire non possit , ad vasa interiora propellitur , majoremque ibi generat calorem unde Hippocratis effatum *ventres hieme calidiores*. Imminutum perspiratorium cutaneum , pariter ad organa secretoria interna , convertitur : hinc per hiemem , copiosior lotii secretio , hinc per hiemem alvus humida. Ab aëre calido contrarii in œconomia animali oriuntur effectus ; imminuta gravitate , aër in corpus minus premit : mollior tunc cutis textus : sanguis itaque hujusce organi vasorum mæandros facilius pervadit ; uberior itaque fit cutanea transpiratio , parcior lotii secretio , alvus siccior. Nec minores sunt effectus , qui ab aëre sicco vel humido in œconomia animali , producuntur ; aër sicco firmiorem , magisque elasticam fibram efficit. Nimiam corporis humiditatem exsiccet , in exercendis variis laboribus , corpus magis idoneum facit : in eo aëre , anima diversas suas operationes facilius , & cum quadam ut ita dicam alacritate exercet ; hominibus humidâ corporis temperie donatis hanc atmosphæræ constitutionem summopere favere observatum est. Ab atmosphæræ humiditate è contra : fibra debilior fit , corpus gravatur , assuetis laboribus minus aptum fit : anima in exercitio suarum functionum veluti impedita tristis est ; ideoque cum aëre humido , multi melancholici observantur.

Ex his paucis patet quantum sit in homine physiologice spectato diversarum aëris constitutionum imperium. Idem est earum in homine Pathologice spectato imperium : constanti enim Medicorum observatione , certum est inter morbos chronicos plurimos ut asthma , epilepsia , mania , phthisis , hidrops , arthritis , scorbutus , &c. certis in anni temporibus frequentius apparere , vel exacerbari. Etsi illud atmosphæræ imperium manifesto appareat in morbis chronicis , evidentius tamen apparet in morbis acutis ; adeo ut vix erraret , qui ab atmosphærâ , causam morborum acutorum repeteret. Et re ipsa unaquaque anni tempestas , morbos acutos secum adducit , qui & symptomatibus & curatione , a morbis aliarum tempestatum differunt. Hi morbi singulis annis constanti quadam lege recurrunt seseque excipiunt , nisi quadam temporum anomalia , cæli quæ mutationes abnormes intercurrent , & hanc morborum successionem turbent. Hos morbos *febres annuas* dixit Stoll (1) ut a morbis epidemicis , quorum causa debetur miasmati per aërem obvolitanti , vel naturæ aquarum , alimenterum ve , distinguerentur. Hi morbi epidemici etsi a febre annuâ diversi , aliquid

(1) Aphorif. de cognosc. & curand. feb. Aph. 36.

tamen de eâ retinent, cum in eorum curatione, ratio habenda sit febris annuæ. In inquirendis morbis a diversâ atmosphæræ temperaturâ productis, huc nobis est incumbendum: in eâ autem inquisitione, is tenendus est ordo, qui a naturâ ipsâ offertur tempestatum nempe ordo, ab hieme initium desumendo.

I 1.

QUÆ per hiemem apparet morbosa constitutio, catharrofa seu pituitosa nuncupatur: vitæ sedentariæ addictos, senes, laxiori fibrâ donatos, venere, studijs, vigilijs, mæiore, morbo, medicamento, inediâ exhaustos, victu aquoso debilitatos præ cæteris infestat. Hanc morbosam constitutionem insigniunt horripilationes vagæ, lassitudo, lingua alba, mucosa, saliva lenta, nausea, anorexia, flatus, urina cruda, cutis pallida, tristitia involontaria, virium obrutio. Sub autumni fine incipit constitutio pituitosa, & ad usque ver medium, perdurat. Symptomata autem hujus constitutionis, varia esse solent, prout aer siccus est vel humidus.

Si aer frigidus fuerit una & siccus, tunc materia catharalis non satis diluta, quamdam concipit acridinem, ideoque morbi intercurrentes qui eo tempore apparent, quamdam phlogosis speciem secum important (1), quam haud raro excipit sphacelus; similis forsan constitutio, id fecit ut *A. Grant* constitutionem inflammatoriam per hiemem a se visam fuisse, affirmaverit (2). Ejusmodi constitutionem catharum febrilem inflammatorium dixit *Stoll*. (3) Ea autem constitutio facile cognoscitur linguæ cutisque ariditate, horripilationum frequentia, pulsûs exiguitate, capitis dolore, naturâ demum morborum intercurrentium; morbi enim intercurrentes qui tunc apparent, anginæ sunt & peripneumonix, quæ aliquid inflammatorii secum habent. In horum autem morborum curatione, ad causam, id est ad materiam catharralem acrem, semper est attendendum: ideoque purgantia in morbi principio nullatenus conducere imò etiam noxia forent (4). Ad diluentium usum, primo est confugiendum: dilutâ materiâ catharrali, tunc purgantia tuto administrari possunt; ut verò necessaria eorum irritatio minuatur, sub vespere hypnoticum est propinandum. Vesicantia pariter quorum maximus est successus quando sphaceli metus est, applicanda non sunt, quin præmissa fuerit diluentium administratio, aliter spasmus, humoris que acrimoniam, augerent.

Frigidus vero una & humidus hiems si fuerit, nova in morbo catharrali oriri phenomena necesse est. Copiosiori sero diluta cathari materies, minorem habet acridinem: minor itaque esse debet solidorum irritatio, fibræ magis irrorari debent. Ab aëris humiditate, impeditur perspiratio, quæ in textu cellulari fieri solet: digestiones itaque prævæ fiunt, inde pituita in ventriculo & intestinis congeritur. Proprio autem symptomatum apparatu, facile dignoscitur ea morbosa constitutio. Lingua humida est & muco albo oblinitur; cutis pallida & mollis est, urinæ aliàs crudæ, aliàs jumentosæ: dejectiones fætidx, haud raro spumosæ. Ad caput præsertim, præcipua percipiuntur symptomata; dolor adest gravativus ad sinus frontales, sæpius verò ad occiput, ideoque caput vix ele-

(1) In Siccatibus febres acutæ fiunt. Hippocrates Aph. VII. Sect. III. Dolor erat fugax & quum agri tene habere putarentur & immunes a dolore lateris interibant erant a sero scri indomito cuniculos & viam sibi parante erysipelatodes non phlegmonodes Ballou epide constituto quarto.

(2) De naturâ febrium & methodo iisdem curandi.

(3) Ratio medendi Ephemerid anni 1777.

(4) Ballonius epidem. & Ephem. lib. II. const. Hiemalis. anni 1575.

vare queunt ægroti, palpebræ graves sunt, perpetuum adest coma vigil, mentis facultates obruuntur. Quandôque ea catharri materies propter idiosyncrasiam ad fauces, vesicam, vel pectus transferur, harumque partium ut ita dicam inflammationem, provocat: quando ad pectus defertur, tunc is oritur morbus, qui à *Sidenhamio* peripneumonia notha dicitur. Ab expectorantibus incipi non debet hujus morbi curatio, sed purgantibus, epispallicis, quandoque etiam à venæ sectione. Sub morbi decremento, expectorantia, tuto administrari queunt.

Si nunc ad naturalem hujus morbi terminationem animum convertamus, videre facillimum erit, quandoque per levem diarream, quandoque per urinæ profluvium, aliàs per metastasim ad articulationes, aliàs per extremitatum tumorem oedematofum fieri. Sed hæ naturæ crises lentæ sunt & difficiles. Ideoque a principio morbi, causa a medico est debellanda. Capitis nunc symptomata, ibi sedem esse morbi demonstrant, ideoque vesicantia furis non sunt applicanda, ut quibusdam placuit: metus enim esset ne in tam longo itinere, materia morbifica ad diversa viscera deponeretur, pariter metus esset ne catharidum vis ad vesicam deveniret; inde juxta *Sidenhamii* concilium, vesicantia collo sunt applicanda (1) tunc ad morbi sedem applicantur, breviori quæ viâ, humor attrahitur, evacuantia pariter sunt administranda, non emetica, minimæ enim forent utilitatis sed cathartica: horum utilitatem in hisce circumstantiis jam vidit *Hippocrates* (2). cum vero a purgantibus quædam in corpore remaneat irritatio, unde morbus incrementum suscipere potest, post cathartici effectum, paregoricum cum *Sidenhamio* (3) est administrandum. Si verò à principio morbi, curatio suscepta non fuerit, tunc symptomata apparent, quæ abdominis inflammationem annuntiant. Maxima ideoque cautela est adhibenda in purgantium usu. Vitandæ sunt imprimis stibii præparationes quæ etsi fractâ dosi, irritationem tamen, spasmusque abdominis augent. Eccoprotica ut cassia, manna, iis sunt anteponenda sensim enim alvi evacuationes promovent, aliunde ab eorum usu nulla remanet irritatio. Sub fine morborum catharralium, propter virium jacturam, remedia tonica, imprimis kina, maximæ sunt utilitatis.

III.

SUB veris initio aer incalescit, sed unâ humidus fit. Unde mutationes fiunt in morbo catharroso (4). A primo morbi insultu, horripilationes, dolor capitis, sive ad frontem sive ad occiput apparent. ægroti constanter comatosi observantur, in plerisque rigiditas adest maxillæ inferioris (5), faucium deinde accedit dolor leviter inflammatorius, fauces, amigdalæ, uvula, tumidæ sunt leviterque rubræ, vera adest inflammatio oedematosa; tussis advenit sicca absque ullâ expectoratione: lingua inagine rubra est, in medio autem leviter alba, alvus dura est, pulsus plenus absque duritie, cutis tumet, textum cellulofum humore turgidum diceret.

(1) *Schedula monitoria de novâ febris ingressu.*

(2) *Med. ap. nris purgare oportet æstate quidem superiores magis hieme vero inferiores.* (*Hipp. Aph. IV, Sect. IV.*)

(3) *Id scilicet cavens ne forte ab agitatione & tumultu quem in febricitantium sanguine & humoribus purgantia sæpe excitant, æger ex spirituum animalium confusione comatosus fiat, quod quidem symptoma medicamentum hypnoticum quantum libet facere videatur procul amolitur.* (*Sidenh. Schedul. monit. de novâ febris ingressu.*)

(4) *At vere adhuc quidem pituita in corpore valida remanet sed sanguis augetur.* *Hippocr. de naturâ hominis.*

(5) *Ballon. Constit. verna anni 1576. Constit. Verna anni 1578.*

§

Ea autem symptomata ; in morbi augmento ingravescent : coma evidentior fit, lingua copiosiori muco oblitur, respiratio gravis fit, nondum tamen olet anima, alvus dura dolet : urinæ aliàs pellucidæ, aliàs turbidæ sunt absque tamen ullâ hypostasi : pulsus debilis, artus debiles. Si ferius advocatus fuerit medicus, vel si a morbi principio idonea medicamenta non fuerint adhibita, tunc subsultus tendinum, & exanthemata apparent : ea exanthemata elevatione & rubore cutis insigniuntur, circumscripta sunt & digitorum pressione facile evanescent : nec cum petechiis quæ in febre biliosâ, in febre putridâ mesentericâ Baglivianâ dictâ apparent, sunt confundenda.

Hujusce febris exitum attente perpendendo, inter eas quas *laboriosas* dixit *Hippocrates* tuto assignari posse, facile percipitur. Difficilis enim est hujus terminationis. Ea terminatio, sæpius fit per parotides, quæ raro inflammatoriæ sunt, raro suppurant. Quando suppuratio fit, puris loco saniem præstant : quandoque morbi terminatio, fit per extremitatum tumorem : quandoque per expectorationem, sputa tunc viscida sunt & coctâ, absque ullâ purulentia : quandoque terminatio, sensim fit per alvi evacuationes, etsi ea terminatio sit longa, attamen certo ad sanitatem ducit.

Haud raro propter auctum caloris in aëre gradum, ea febris ad putritudinem transit. Eum statum indicat lingua sicca & fusca, cutis arida & calida, anima olida, urina nigra, dejectiones fætidæ & nigrae, pulsus decedens & velox, conspectus audax, delirium. In eo casu non medicamenta incisiva, sed acida leviter tonica sunt administranda. Hanc constitutionis catarrhalis statum, sub titulo febris lentæ nervosæ descripsisse videtur *Huxam* (1).

Morbi intercurrentes, qui sub eâ constitutione frequentius grassantur, anginae sunt pituitosæ, rhumatismi catharrales, diarrheæ catharrales; nulli autem frequentiores apparent, quam eæ peripneumonice, quas nothas dixit *Sidenhamius* (2) in eâ peripneumonia, perpetuus adest capitis dolor, qui quoties tussis importunius fatigat, haud aliter ægros afficit ac si caput in partes dissiliret. Dolet & thorax omnis, anhelæ est & frequens respiratio, pulsus plenus est, sputa pituitosa, urina turbida cernitur intense rubens, alvus sicca, abdomen tensum, cutis sicca & calida; plerumque semel instituta venæ sectio sufficit : sed curatio in evacuationum usu tota reponi debet, vesicantia loco dolenti applicata, citò dolorem tollunt; quodquidem saburræ pituitosæ in pulmones depositæ, præsentiam certo denotat. Purgantia quoque hinc non minimæ sunt utilitatis, eorum peractâ actione, ut jam dictum est cum *Sidenhamio* paregoricum est propinandum. Sub morbi fine, scilicet præparaciones, multum conducunt.

Tempore autem ver inter & æstatem medio, circa Aprilis finem, a novâ solis vicinâ excalescens aër, sanguis copiosior fit, in effervescencias & inordinatos motus ruit; hanc sanguinis dispositionem, jamdudum observaverant antiquiores medici, ut ex *Hippocratis* dictis constat *et vere adhuc quidem pituita in corpore valida manet, sed sanguis augetur* (3). Ab eâ sanguinis conditione, necessario nova oritur morbosa constitutio, quæ temperamento sanguineo præditos vel evacuationis sanguineæ suppressionem passos, præ cæteris aggreditur, sæpe etiam baccho deditos. A rigore plerumque atque horrore, oritur : lingua leviter alba, sæpius rubra, semper humida, nisi morbus ad summum, seu ad putritudinem devenierit : facies rubra, oculi rubri, totus in universum corporis habitus, leviter rubet; dolor adest capitis acutissimus, somnus brevis est, alvus dura, urinæ paucæ, rubrae

(1) *Essai sur les Fieures.*

(2) *Observ. Medic. circa morb. Acut. Hist. & curat. Sect. VI, cap. VI.*

(3) *De natura hominis, cap. III.*

& flammæ. In eâ constitutione, venæ sectio celebranda est: potus saponacei, aciduli, antiphlogistici demum multum succedunt; purgantia ex *Baglivii* concilio (1) summopere sunt vitanda præsertim in augmento & statu morbi.

His nunc expositis, manifesto patet, eam constitutionem, a sanguine venire; ideo que febres inde productas, *venosas* dixit *Ballonius* (2) *inflammatorias* *Stoll* (3) *sanguineas* *Baglivi* (4). Quando que propter morbi diuturnitatem & acerbitem ea febris sanguinea, putrida fit: tunc lingua, os, gingivæ, labia, arescunt; lingua insuper tremula & fuliginosa fit, virium adest prostratio. Optime autem profligatur ea febris putridæ species, diluentium acidorum usu; acidis vegetabilibus huc sunt anteponenda acida mineralia. Quandoque, propter virium jacturam tonica ut contrayerva, radix serpentariæ virginianæ, kina, sunt administranda. In universum ea febris putrida, minora secum trahit pericula, quam ea quæ in aliis constitutionibus apparet; eam observationem, jamdudum adnotaverat *Galenus* (5).

Qui tunc grassantur morbi intercurrentes, omnes inflammatorii sunt, ideoque sola methodo antiphlogistica, curantur. Sæpe angina inflammatoria (6) occurrunt quæ equidem quam celeriter terminantur, sed una periculosissimæ sunt; repetitæ venæsectiones institui tunc debent, antiphlogistica sunt administranda. Atamen etsi idonea medicamenta rite adhibita fuerint, haud raro eæ angina, gangrenâ & morte terminantur. Sæpe phrænitides in eâ constitutione percipiuntur, in eâ morbosâ constitutione, apparet pleuritis & peripneumonia vera (7), qui morbi, dolore versus claviculam vergente, pulsu pleno, duro, cutis rubore, sublimi respiratione, a pleuritide & peripneumoniâ notâ tuto satis distinguuntur. Ex observationibus *Baglivii* (8) & *Stoll* (9) vesicantia in his circumstantiis, & in constitutione sanguineâ, rejici debent. Præter hos intercurrentes morbos, febres quoque intermittentes cum eâ constitutione apparent, illud ab antiquis, non ignotum fuit (10) merito itaque in vernaes & autumnales, febres intermittentes, distinxerunt auctores medici. Ejusmodi febres, nullum secum inferunt periculum, imo inquam salutare sunt (11). Eæ tuto venæ sectione, antiphlogisticorumque usu curantur (12). Cum eâ constitutione sæpe complicantur variolæ, morbilli, scarlatina (13) inde concilianda Medicorum dissentio de antiphlogisticorum administratione in his morbis.

Istius autem sanguineæ constitutionis imperium breve est; ab aëris enim calore humores acridinem magis ac magis concipiunt, ideoque sub fine Maii, incipit bi-

(1) *Præcos Medicæ* l. I., c. III. p. 136.

(2) *Ephem.* l. II, *Æstiva Constitut.* anni 1575.

(3) *Aphor.* de cognos. & curand. febribus, p. 7.

(4) *Præcos Medicæ* l. I, p. 68.

(5) Non nunquam itaque sanguis inflammatis in particulis subire potest putredinem; exquâ simplicior quidem quam ex aliis humoribus febres oriuntur *Galen.* de differenti. febr. l. II, cap. IX.

(6) *Fernel de morb. part.* p. 385. *Vanfwieren Comment. in Aphor. Boerhav.* Aph. 799

Sidenham. Observ. Medic. Sect. VI, cap. VII.

(7) *Sidenham. Observ. Medic. Sect. VI, cap. III.*

(8) *Præcos Medicæ* p. 102. idem de usu & abusu vesicant. p. 655.

(9) Vesicantia pleuritidem veram atque inflammatoriam exacerbant hinc quandiu phlogosis viget, ab iisdem est abstinendum *Stoll. Rat. Med.* anni 1776 mens. Maii p. 59.

(10) Etenim alia ex flava bile n. mium adusta alia ex sæculento sanguine nascitur. *Alexand. trall. lib. XII. cap. VII.* *Edent. Hallero*

(11) *Sidenham. Observ. Medic. Sect. I. cap. IV.*

(12) *Vanfwiet. Comment. in Aphor. Boerh. l. II, p. 502. Stoll. Aphorif. de Cognos. & curand. febribus.* p. 86.

(13) *Stoll. rat. Med.* p. 199, 313.

liosa Constitutio; quæ primo cum constitutione sanguineâ complicatur, sicque febres bilioso sanguineas efficit (1). Eæ febres notantur rubore cutis, quæ admixta flavedine rubet, linguâ marginibus rubrâ, in medio biliosâ, pulsu pleno, duro, ut in constitutione sanguineâ fieri solet, eæ febres sanguineo biliosæ, mixtam, methodum in curatione requirunt. Sanguinis missio, parciore esse debet quam in constitutione sanguineâ: antibiliosa, ut emetica & cathartica, una cum antiphlogisticis sunt administranda.

I V.

VIGENTE æstate, novus in solidis accedit status; humores adiposi, imprimique biliosi (2) quamdam concipiunt acridinem, ideoque penitus evanescit constitutio sanguinea, locumque biliosæ cedit. Ad hanc prædisponunt victus pinguis, calidus, coelum humidum simulque fervidum, fibra sicca, facillè irritabilis, temperies biliosa: excitant verò labor nimius æstuante Syrio, refrigerium æstuantis corporis, terror, ira, mœror, ingluvies, vulnus.

Peculiari symptomatum apparatu, constitutio biliosa dignoscitur; album oculorum, facies una & cutis flavel. Præter illud symptoma, in cute aliud phenomenon deprehenditur, huius videlicet calor & siccitas (3): quod autem intensior morbus, eò siccior & calidior cutis. Hanc cutis in morbis biliosis dispositionem dudum observaverat *Galenus* (4). Primo morbi insultu, nunc friget æger, nunc incalescit: vertiginosus est, de capitis dolore queritur lancinante, qui capitis status ventriculo persæpè sympathicus est. Lingua saburrâ biliosâ obducitur, os amarum est, ructus accedunt amari, vomitus materiæ biliosæ porraceæ, vitellinæ, fauces exurentis, dentes stupefacientis, saporis acerbi, metallici. Dolor adest acer juxta regionem epigastricam, qui cum dolore a candente ferro producto comparari potest; inde morbo *fedæ* nomen: hypocondria tensa sunt & elevata: materia anacatharsi rejecta, biliola est & olidissima, pulsus durus est & plenus.

Febris nunc quæ in eâ constitutione apparere solet, à neotericis biliosa nuncupatur, ab antiquis verò ardens vel cauius, propter insignem caloris productionem (5). Ad continuarum remittentium speciem reducitur febris biliosa, quia manifestas habet exacerbationes, neque continuo tramite ad crifim usque decurrit (6). Eæ exacerbationes, singulis tertianis diebus vehementiores fiunt; eo signo, febris biliosa perfectè distinguitur à catharrhali, in quâ singulis diebus exacerbationes redeunt. Hanc distinctionem, manifesto his verbis expressit *Galenus hæc si quidem* (febres continuæ tertianæ) *flavâ bile putrescente gignuntur, at quotidiana ex pituitâ* (7). Febris biliosa, exordium sumit à lassitudine, horripilatione: respiratio densa est & anhelosa: aer expirationis vi expulsus, calidissimus est; undè *Areteus* dixit ignem expirant *αυτὸς τοῦ πυρὸς* (8) fitis adest inexplibilis.

(1) *Stoll. rat. Med. par. 2. p. 333.*

(2) *Bilis autem æstate & autumnno corpus occupat. Hippocrates, de naturâ hominis, Cap. 3.*

(3) *Calor fere ad tactum urens Boerhav. instit. medic. aph. 739.*

(4) *Quod vero tangenti manui calor molestus sentiat, id provenit ex humoris acridine. Si igitur calor & vapores & mixtus insuavis videatur à sanguine proficiscitur. Qui vero molesti, rodentes atque mordaces existunt, consequuntur utramque bilem. Galenus, de different. febr., Cap. IX.*

(5) *Ignis acerrimus & aridissimus Areteus de signis & causis morborum acutorum, lib. II, cap. IV de Causo.*

(6) *VanSvieten, comment. in aphor., 1738 Boerh.*

(7) *De different. febrium, lib. II, cap. I.*

(8) *De curat. morb. acut., lib. II, cap. III.*

cætera insuper alia symptomata quæ ad biliosam constitutionem pertinere diximus, in febre biliosâ apparent. Sæpè adest delirium, advenit quoque hemorrhagia narium quæ haud rarò critica est, sæpè etiam morbus judicatur dejectionibus, sudoribus, urinis. In febre biliosâ rigor quam in febre catharrali major est (1).

In constitutione biliosâ, venæ sectio celebranda non est, nisi complicatio fuerit cum sanguineâ constitutione, vel nisi pars quædam inflammatione correpta fuerit (2). Hisce conditionibus remotis, venæ sectio periculosa est (3). A primâ morbi invasione emeticum est administrandum, hujus ope gastricum systema repurgatur; aliundè hujus actioni succedit solutio spasmi cutanei: inde, sudores, alviqve evacuationes faciliores fiunt. Hanc praxim docet Hippocrates sequenti aphorismo *medicamentis purgare oportet æstate quidem superiores, magis hieme vero inferiores* (4). Potus copiosi, blandi, demulcentes, subacidi, ut nempe occurratur putridæ degenerationi humorum in febre biliosâ semper metuendæ (5), sunt propinandi; vesicantia in principio morbi nocent (6) propter solidorum rigiditatem; sed in statu morbi, quando naturæ vires non sufficiunt ad evacuationem materiæ biliosæ, tunc maximè sunt utilitatis. Citius in universum ex morbis biliosis, quam ex pituitosis convalescunt ægroti, sed unâ, major ad relapsum proclivitas (7), undè maxima debet esse Medici prudentia in victu prescribendo.

Si verò æstas calida unâ & humida (8) fuerit, si morbus aut neglectus aut inconsultè tractatus fuerit, si emesis aut neglecta, aut ubi necesse non repetita fuerit (9), si venæ sectio intempestivè celebrata fuerit, tunc in morbi augmento, sæpius verò in statu, venit sanguinis decompositio. Hanc propter sanguinis decompositionem apparent petechiæ, apparet febris putrida, quæ ad summum producta gradum, maligna nuncupatur. Hunc febris biliosæ statum *typhum* dixit Hippocrates (10) febrem *lippiam* dixerunt alii. In eo morbi statu apparet hemorrhagia narium quæ critica non est, sed à merâ sanguinis decompositione producitur; vires prociuntur, subsultus adsunt tendinum, pulsus parvus est & tremulus, sudores, fœces alvinæ olidissimæ sunt, mens delirat, lingua nigricat. In eo casu venæ sectio instituenda non est, alioquin augetur debilitas, augetur sanguinis decompositio; emesis ope promovenda est primo materiæ in primis viis hospitantis evacuatio, deinde sustinendæ sunt vires, arcenda est humorum decompositio. Has ob indicationes multum conferunt acida mineralia, vinum, camphora, huc quoque multum confert Kina; nec minor est vesicantium utilitas, materiam enim biliosam cum sanguine circumeuntem ad cutem adtrahunt, sicque abcessus præcaventur.

Morbi intercurrentes, qui sub eâ constitutione grassantur, varii sunt ac multiplices. Colicæ imprimis sunt, diarrhææ, febres intermittentes tertianæ, rheumatismi, anginæ, icteri. Hi omnes morbi cum indolem biliosam retineant, solis evacuantibus antibiliosis curantur. In eâ pariter constitutione Pleuritis & perip-

(1) Galen. de differ. febr., Lib. 2, Cap. 3.

(2) Vanfwieten, Comment. in aph. 743 Boerhavii.

(3) At si vena secta fieret, omnia mox ab educto sanguine in pejus ruerant.... Vidimus quosdam à missione sanguinis mox delirare quibus emeticum sanam denuo mentem restituit, Stoll. rat. med., p. 23.

(4) Sect. IV, aph. IV.

(5) Vanfwieten comment. in aphor., 743. Boerh.

(6) Stoll. aph. de cognos. & curand. febr. aph. 372.

(7) Stoll. aph. de cognos. & curand. feb. aph. 371, idem rat. med., pag. 9.

(8) Stoll. aph. de cognos. & curand. feb. aph. 493.

(9) Stoll. rat. med., pag. 157.

(10) De affect.

9
 nevmonia biliofae reperiuntur. De iis Hippocrates dixit si dolor quidam sursum ad claviculam aut circa mammam et brachium pertingat, internam brachii venam secare oportet. . . . Si vero deorsum sub thorace dolor fuerit valdeque urgeat, Pleuritico alvum subpurgato (1). Has pleuritides Angli descendentes dicunt. Si inflammatio major fuerit, sanguis mittendus est; sed tantummodo momentaneum levamen affert sanguinis detractio (2), ideoque brevi ad emesim confugiendum est. Hujus ope, dolor manifesto minuitur. Sed quandoque etsi emeticum probe administratum fuerit, dolor tamen persistit: in eo casu vesicantium applicatio, morbum penitus tollit (3); sed nunquam applicari vesicantia debent, quin praegressa fuerit emetici administratio (4).

V.

MORBOSA nunc constitutio quae vigente autumno regnat, vix ab aestatis constitutione differt. Jam dicta constitutio biliosa, semper dominium tenet (5); nulla itaque ferè differentia inter morbos aestatis & primi autumnii. Attamen sub autumnii medio, propter caloris diurnitatem, crassior acriorque facta bilis, evacuantibus minus facile cedit, unde eorum frequentior requiritur administratio. Perinde ac in aestate apparet febris biliosa, sed major in eâ intensitas, major ad putridam degenerationem proclivitas deprehenditur: hisce in circumstantiis petechiae apparent quae criticae non sunt, quia in morbi augmento fiunt, quia morbus ab iis non solvitur. In eâ febre antibiliosa requiruntur: aliunde propter humorum ad putriditatem tendentiam, frequens esse debet acidorum usus.

Morbi intercurrentes qui per autumnum epidemice grassantur, iidem ferè sunt quam qui per aestatem apparent; icteri sunt, pleuritides, peripneumoniae, diarrhae, hemoptioes (6). Sed frequentiores tunc sunt febres tertianae; eas febres autumnalium nomine à vernalibus distinxerunt authores Medici; quae distinctio ad curationem summè necessaria est. Etenim vernaes febres, solâ venae sectione, solo antiphlogisticorum usu, curantur: in autumnalibus verò Kinæ administratio emeticorum purgantiumque usu praemitti debet, alioquin hydrops, obstructions orirentur. Per autumnum quoque febres apparent quartanae, quae ad hiemem & etiam ad ver producuntur, quae curatu difficillimae sunt; de iis opprobrium esse Medicorum, dicere non dubitavit Sidenhamius. Hæ intermittentes febres tempore humido imprimis apparent: hæc de causâ in paludosis regionibus endemicae sunt.

Sub autumnii medio, aer manè & vespere friget; spasmi itaque in abdomine oriuntur; inde dysenteriae biliosae (7) quae aeris temperaturae referri debent,

(1) Hippocrat., de vict. rat. in morb. acut., pag. 270, 271.

(2) Cuiusdam pleuritico sectâ venâ, dolor disparuit: an ideo securos de morbo esse oportet? nequaquam nam plurimos statim peripneumonicos evasisse vidimus. Ballon., epid., const., vern., anni 1571.

(3) Si verò vacuato ventriculo & intestinis, tenax illud viscidumque sputum, uti in pleuritide biliosa fieri solet, anacatharsim faciat, potus largus calidus, mitiori stimulo aromatico armatus, & applicata simul vesicantia omnem paginam absolvunt. Stoll. rat. med., pag. 59.

(4) In pleuritide biliosa causticae antequam gastricum systema repurgatum sit nocent. Etenim sudores & noxios movent, alvum tardiores reddunt, & materiam circa praecordia haerentem intra humorum circulantium territoria propellunt. Ibidem.

(5) Biliis autem aestate & autumno corpus occupat. Hippocrat., de naturâ hominis, Cap. III.

(6) Stoll. rat. med.

(7) Hippocrat. aph. XXII, Sect. III, Sidenh. dissect. part. anni 1669, Sect. IV, Cap. III. Areteus de signis & causis diurni affect., pag. 120.

& de quibus falso accusantur fructus horæi, qui tantummodo diarrheas salubres producere possunt, imprimis quando maturi sunt. In dysenteria biliosa, dejectiones mucosæ, liquidæ, biliosæ & frequentes sunt; ingens adest intestini cruciatus & dolor, quoties exoneratur alvus. Cessant verò dolores quando dejectiones duræ & pulcræ sunt, quod satis fidum signum est solum esse spasum, sanatumque esse dysenteriam. In earum dysenteriarum principio, dejectiones sanguinolentæ non sunt (1) in augmento tantum filamenta sanguinea dejectionibus permixta, conspici solent. Ea dysenteria species, solis antibiliosis sanatur. Emetica tantum proprietate huc specificè ut ita dicam succedit radix brasiliensis; cum verò ab eâ minor oriatur irritatio quam à tartaro Stibiato, inde huic antepositur. Insuper ad sedandum spasum, ipecacuanhæ hypnotica adjunguntur.

Caloris & frigoris vicissitudines, quæ per autumnum imprimis frequentiores sunt, cutaneam transpirationem supprimunt. Hujus verò materies ad musculos deferretur, eamque procreat affectionem quam antiqui arthritidem vagam, recentiores verò rhumatismum acutum dixerunt. Ejusmodi affectio, etsi in omnibus anni tempestatibus appareat, per autumnum tamen frequentior esse solet; causæ enim huic producendæ magis idoneæ, in eâ tempestate frequentiores sunt: tunc cum biliosa constitutione complicationem subit, solique antibiliosis sanatur.

Autumno nunc ad finem vergente, circa novembris medium, frigus sævire incipit. Tunc constitutio biliosa cum catharrali complicatur, morbi que oriuntur ex utraque constitutione mixti, quos *bilioso catharrales* dixit Stoll. In iis humores lentiores sunt, difficiliusque evacuantur; febres verò quæ ab eâ constitutione producuntur, remittentes sunt, sed de harum febrium remittentis naturâ, vix dixerunt auctores; mihi autem videtur ad *hemitritas* antiquorum referri posse. Etenim ex Galeni dictis, *ex quotidiana continuâ, & tertianâ hemitritæ natura constat* (2); quotidiana autem sive *epidæ* antiquorum ut jam à nobis expositum est, ad catharralem constitutionem pertinet; tertiana verò sive *triteopheis* ad biliosam. Nunc cum utriusque constitutionis adsit complicatio, biliosæ videlicet & catharralis, inde sequitur hanc compositam febrem de utriusque constitutionis remittentis naturâ, aliquid retinere debere: inde antiquorum hemitritea apparere debet. In universum ejusmodi febres periculosæ sunt, petechiæ in his citò adveniunt. Emetico cathartico repetita administratio, huc multum confert (3) vesicantia in principio propter humoris lentorem, non sunt applicanda. Diluentia acida, acida ex vegetabilibus deprompta, fructus saponacei, cathartica demum, summæ sunt utilitatis. Sub morbi fine, propter virium jacturam tonica leviter antiseptica.

Autumno succedens hiems, constitutionem biliosam penitus solvit, plenaque tunc apparet constitutio catharralis, de quâ jam fusè diximus.

V. I.

HIS nunc expositis, patet quanta sit ad dignoscendam morborum acutorum naturam atmospheræ observatio, cum ex anni temporibus morbos conjectare, afferente Hippocrate, datur. Hujus observationis utilitatem non ignorabant

(1) Stoll, Dissert., part. anni 1769, Sect. IV, Cap. III.

(2) De different febr., Lib. II, Cap. VII.

(3) Stoll, rat. med., pag. 331.

antiquiores Medici : ideòque Hippocrates singulis in suis operibus, atmospherae observationem Medicis suadet (1). Facta Medicinae scrutando, videmus aliquandiu Hippocratis consilia à Medicis secuta fuisse. Sed quæ cæterarum scientiarum, eadem fuit medicinae fors ; relicta fuit natura, observationis loco, systemata posuerunt Platonis deliria, pro experimentis verba dederunt qui se falso Aristotelis discipulos dicebant ; non defuerunt quidam Autores in tam longo Medicinae ut ita dicam somno, qui naturæ observationem Medicis suaserunt ; sed frustra. Initio tamen ultimi sæculi Hippocratis vestigiis insistent *Ballonius*, quosdam Medicos, ad naturæ observationem reduxit. Inceptum à *Ballonio* opus perfecit *Sidenhamius*. Ab eo tempore à Medicis magis observata fuit natura, atmospherae mutationes, affectusque qui inde in oeconomia animali & præsertim in morbis acutis producuntur, magis cogniti ; ideòque nunc horum morborum doctrina certior est, curatio certior, & naturæ legibus magis accommodata.

Ex dictis constat singulam anni tempestatem, peculiarem morborum ordinem secum adducere ab alterius tempestatis morbis penitus diversum, tum ratione symptomatum, tum ratione curationis. Sic per hiemem morbi pituosi, dominium tenent qui anacatharsim moventibus curantur. Ver secum sanguinis ut ita dicam intra sua vasa effervescentiam adducit, ideòque symptomata quæ istius humoris abundantiam orgasmumque denotant, veris morbos insigniunt : tunc sanguinis effervescentia est temperanda, copia minuenda. Vigente æstate, tenuiores humorum partes avolantur, humores imprimiturque biliosi, densantur & arescunt ; morbi itaque biliosi apparent, qui solâ emesi curantur. Cum verò ab æstate aëris temperaturâ haud differat autumnus, inde mirum videri nequit utriusque tempestatis morbos inter se vix differre. Sed ambarum constitutionum successio subito non fit, natura enim suas omnes operationes insensibili serie inter se revincit ; ideòque in transitu aliæ tempestatis ad aliam, inter utramque tempestatem, temperatura est media. Idem phenomenum in morbis deprehenditur ; sic per hiemis ad ver transitum, febres catharroso sanguineæ apparent : sic tempestate ver inter & æstatem mediâ, morbi sanguineo-biliosi, sic autumnus ad finem vergente, morbi bilioso-catharroso. In eo autem constitutionum concursu mixta requiritur curandi methodus : sed tunc facilis est deceptio, & artis applicatio supra modum difficilis est. Hinc temporibus inter binas constitutiones mediis peculiaribus attendendum, agendum majori cautelâ, subindè cunctandum, neque ad heroica facile & decisiva remedia confugiendum, nisi res aperta ejusmodi auxilia petat (2).

De mutationibus quæ in morbois constitutionibus fiunt propter aëris siccitatem humiditatemve, huc referre supervacaneum est, cum in precedentibus de iis fusè actum sit.

(1) Oportet exactè perdiscere unamquamque temporum constitutionem & ipsum morbum : nam æstivos morbos superveniens hiems dissolvit, & hiemales æstas succedens transmutat Hippocrat., Lib. III, de morb. popul. Mutationes temporum maxime parvunt morbos, & in temporibus magnæ mutationes frigoris & caloris & reliqua juxta ordinem hoc modo. Idem Aph. I, Sect. III. Sed & humores quibus anni temporibus efflorescant noscè oportet & quosnam in singulis morbos efficiant & quosnam unoquoque in morbo affectiones pariant. Idem de humor., Cap. III.

(2) *Stol. rat. Med.*, pag. 363.

Ex dictis constat nunc aeris maximum esse in producendis morbis acutis imperium, inde merito concludere licet :

Ergo pro variâ aeris atmospherici indole, varia morborum acutorum indoles.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

<i>M. Carolus Jacobus SAILLANT,</i>	<i>M. Eduardus-Franciscus-Maria BOSQUILLON, Chirurg. lat. id. an. 1779-80, Rei Herbaria an. 1781-82, Chirurg. lat. id. nunc Professor.</i>	<i>M. Joannes-Armandus ROUSSEAU DE MONTABOURG, Physiol. & Pathol. an. 1766-68 Prof.</i>
<i>M. Theobaldus NIZON, Chirurg. gall. id. an. 1782-83, nunc Rei Herbaria Prof.</i>	<i>M. Ludovicus-Carolus-Henricus MAQUART.</i>	<i>M. Natalis-nicol. MALLET, Chirurg. lat. id. an. 1765-66, Ut. Pharm. an. 1785-86 Prof.</i>
<i>M. Jacobus-Franciscus DE VILLIERS.</i>	<i>M. Joannes-Franciscus-Jacobus ROUSSEAU DE CHAMSERU.</i>	<i>M. Franciscus-Ludovicus THOMAS D'ONGLEE, Chirurg. gall. id. an. 1764-65 Prof.</i>

Proponebat Parisiis, FRANCISCUS - ANTONIUS - JACOBUS DUVAL, ex Insulâ Borbonicâ, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theſeos Auctor.

A. R. S. H. 1789. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1789.

